


BIBLIOTEKA


Zakl. Nar. im. Ossolińskich

XVI

290

E. 24, 210.






361

8

D. SEBASTIANVS  
PETRICIVS MEDICVS,  
DOCTORI GREGORIO SCROB-  
KOWICZ IVRECONSULTO, CON-  
SULI CRAC:

Zoilo suo, sanam mentem P.

 Blatum tibi à me per puerum de peste scriptum, in  
præsentia Magistri Broscij contempsisti, & ob  
præfationem malè & stultè, vt aiebas scriptam, vt  
indignum lectu, accipere renuisti. Dignitatis tuæ erat,  
quod honoris causa dabatur, suscipere; prudètiæ, si quod  
viciu animaduertisses premerè, non fremere; humani-  
tatis, erroris authorem priuatim admonere, non publicè  
proscindere. Quia error omnibus hominibus communis  
est. Tu vero Consul indignum te honore duxisti, qui vltro  
oblatu sine ratione contempsisti: Professor Prudentiæ, non  
obseruata temporis & loci circumstantia, sine quibus Pru-  
dentiæ esse nequit, deformem imprudentiæ notam sine iu-  
dicio incurristi: homo, humanitatis leges quæ maximè  
Doctori seruandæ erant, transgressus, sine ratione iniu-  
rius in eum fuisti, qui in te honorando munusculi oblati-  
one iustus videri voluit. Quare iniuria publice lacessito  
publico scripto, de malicia & stulticia scripti te alloqui

li-

libuit : vt potius agnoscas tuam , quam aliis temerè ad-  
scribis , stulticiam . De malicia igitur scripti primum bre-  
uiter nos exerceamus . Quæro an malè scriptum contra le-  
gem , an contra Artem putas esse ? Non contra legem .  
Nam Legis Doctor , ignorares legem . Qui nemini iniuri-  
osus esse intendit , malus non est . Huic legi scriptum hoc  
obnoxium est , ergo malum non debuit à te iudicari .  
De Arte , sutor ultra crepidam iudicares . Norunt omnes  
te artem dicendi omnino ignorare , qui & in sententia in  
Senatu dicenda , & in Academicis negotiis , & in com-  
muni colloquio , concepta animi , vt intelligaris , nu-  
de explicare non potes . In hoc vero scripto , satis Artis  
tibi videri potest , si propositum ab initio ad finem , ita vt  
bene intelligatur , vrgeo . Stultè vero scriptum ad decori  
obseruationem , credo refers , quæ Ethyces præceptis  
continetur . Notas igitur , aut aliquid omissum , aut addi-  
tum , quod addi non debuit , aut transpositum . Nihil super-  
fluum in breuitate hac tu ipse fatebere . Seruatus naturalis  
ordò in rebus , transmutationi reclamationis . Omissum igitur  
aliquid reprehendis , vel in titulo , vel in præfationis corpo-  
re . Vide rationem tituli . Nam te is , credo offendit . Hoc e-  
nim inspecto , & nutu , & verbis animi impotentia , ostendi-  
sti : cui inertis & insulsi omnia inertia & insulsa videantur  
neesse est . Omnes nominatim personas compellere non  
potui , ob breuitatem scripti necessariam , & legentium  
tædium . Neminem nominare proprio nomine non debui :  
quia communitatē sine sensu & voce facerem . Vnum no-

minare

XVII-290-III

minare nefas erat : vbi non vnus arbitrio, sed senatuscon-  
sulto, res geritur. Qui nunc præsidet, vir opt: & prudentis-  
simus regimen vrbis omnibus ferè metu pestis dilapsis,  
extraordinarie suscepit, ob suam modestiã non ambige-  
bat sui nominis publicationem, & quod omnibus detre-  
ctantibus, & in debito ordine recussantibus: te solum am-  
bigente, sed ob imperitiã administrationis non obtinente,  
omnium consensu delatũ onus quam honorẽ suscepit. Duo  
igitur ex Senatu toto nominati, qui & diurnitate Officij  
antiquiores, & vsu rerum peritiores, & autoritate existi-  
mationeq; celebriores fuẽre. Quorum tu autoritati ob-  
scurior; vetustati nouitior; peritiã imperitior con-  
trauenire non debes. Debitum honorem denegare me-  
rentibus, iniuria; cedere senioribus nolle, superbia;  
quos omnes boni & de rebus optimè iudicantes magni  
faciunt, despiciere, stulticia est. At melius est minus sa-  
pere videri cum gratia, quàm plurimum, cum reprehen-  
sione. Hanc habes rationem tituli. In corpore præfatio-  
nis & in ipsa, quam tracto, materia, posse inueniri erro-  
res, quos docti reprehendant, vt homo sum errori obno-  
xius, non eo inficias. Sed non erunt tam in iudicando  
præcipites, & præsumptuosi, vt iudicent, antequam co-  
gnoscant. Hoc enim doctus ab indocto differt: quod ille  
prius rem bene cognoscit, deinde iudicat: hic verò de  
incognitis fert iudicium. Tu vero in quo ordine haben-  
dus es, facile quisque iudicare potest. Damnas, stultam  
& malam scriptionem per compita clamitas, non cogni-

ta re.


rare. Neque enim à te lecta, sed solum titulus inspe-  
 ctus. Si id quod non cognouisti, damnas; impru-  
 dentiam tuam, Prudentiæ Doctor, prodis: qui inau-  
 dita causa iudicas, & decernis. Si te mouet quod  
 Capita appello, hoc ad totum Senatum refero: te vno,  
 quoniam sic voluisti, excepto; quem aptius Caudam,  
 aut etiam aliquid infra caudam appellarem, vt qui  
 te Doctorem, titulo; Senatorem, numero; Professo-  
 rem prudentiæ, nomine; ciuem, tumultuatione; homi-  
 nem, simulachro; senem capillis, prodas. Si verè Doctor  
 es, erratum rationibus docere debebas; si Senator, co-  
 gnita causa decernere; si Professor Iurisprudentiæ, ex  
 æquo & bono iudicare; si ciuis, amanter admonere; si ho-  
 mo, quod humanitus omnibus accidere solet, meminisse;  
 si senex, parcere iuniori conueniebat. Hoc te admo-  
 nere volui; ne tibi potius quàm aliis sapiens  
 esse videaris. VALE.




**Posuisti Domine firmamentum Ciuitatis formidinem.**

77 2/7







N. 793

7733  
7

